



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Supradicta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

monico non reperiri, Abbatissam confirmantem esse, cum in hoc c. id expressè dicatur,

Aduerteretur: Quod hic dicitur, Abbatissam canonice electam & confirmatam benedicandam esse, id apertissim traditur, in Clem. Attendentes, §. statuimus, de statu Monachorum, ut infra annum à sua confirmationis tempore benedicantur, in Monasterijs in quibus solitæ sunt Abbatissæ benedici. Non enim ubique benedicuntur; sed cuiusque regionis mos in hac re sequendus est, ut in Gl. lib. dem monet, ver. solitæ.

Aduerteretur sexto: Quod hic Pontifex ait, ut Abbatissa in spiritualibus, & temporalibus liberè administraret. Exinde enim inferatur, quod Abbatissæ, & quævis Monialium præstare spiritualem quandam iurisdictionem, saltem indirecte participant, ex commissione ipsi facta à Prælatis Ecclesiæ; aded ut Monialibus suis, quæ insta sunt & regulæ conformia, præcipere possit; etiam in virtute S. obedientiaz, atque alia præstare, de quibus dixi lib. i. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 4. & tradit Azor. q. 7.

### §. Cæterum.

**S**i Monialis per compromissum electa fuerit, & aliquæ ex Conventu se opponant, distingue: Vel minor pars se opponit, tum electa confirmari & benedici debet: Vel pars maior se opponit, tum confirmatio & benedictio interim differetur, sed electa liberè administrabit, sicuti in supériore casu dictum; nisi opponentium pars duplo maior existat, tunc administrare non debet electa, sed litis euentum expectare.

Aduerterit autem Thomas Zerola in praxi Episcopali, ver. Abbatissa, ad sextum, post Constitut. Trident. Concil. sess. 25. c. 7. de Regulari in electione Monialium non esse locum compromissi; eum suffragia ab Episcopo, aut delegato eius sigillatim exquiri debeant. Si tamen Moniales in ipsum Episcopum, vel Ordinis Prælatum electionis potestatem conferant, haud dubie is prouidere poterit, iuxta c. causam, 18. extra, eod. tit.

### §. Porro.

**S**i in electionibus Monialium appellatio-<sup>15</sup> nem fieri contingat, Moniales ad Sedem Apostolicam personaliter venire non debent, sed Procuratorem mittere. Quoad alia verò etiam in his seruanda est Constitutione Nicolai IIII. c. vt circa 4. hoc lib. & tit.

### §. Postremò.

**Q**ui ad dirigendas electiones Monia-<sup>16</sup> lium destinantur, si discordiam inter eas excident, aut exortam componere non studeant, ipso iure excommunicantur.

### §. Supradicta.

**Q**uæ de electionibus Monialium hac<sup>17</sup> Constitutione dicta sunt, similiter seruari debent in Conuentibus mulierum, quæ canonicae vocari solent Clem. Attendentes, §. illas, de statu Monachorum, sed Religiose non sunt, cum proprium retineant: Omnia, inquam, hic præscripta in earum electionibus seruari debent, excepto, quod suffragium actuum & passuum habeant, tamē eti profissionem religiosam non emittant. Per hoc tamen non intendit Pontifex earum statum, regulam, vel ordinem approbare.

### § Adhac.

**Q**uæ h̄c specialiter de mulierum elec-<sup>18</sup> tionibus statuta sunt, ad alias electiones ecclesiasticas transferri nequaquam debent.

## CAPITVLVM XLIV.

### Prouida.

#### P A R A P H R A S I S.

In c. quamuis, 10. hoc lib. & tit. statuit Gregor. X. Si in causa electionis Episcopalis ad Sedem Apostolicam appellatum fuerit, sed partes postea ab appellatione recedant, quod Metropolitanus, à quo appellatum erant, diligenter inquirere debet.